

B. M. II/21.

J. 28, 18.

(K1877871)

II K  
5218

DISPV TATIO POLITICA

De  
**LEGATIS**

Q V A M

D. O. M. A.

P R A E S I D E

*CLARISSIMO ET AMPLISSIMO*

*V I R O*

**HERMANNO CONRINGIO**

Phil. & Med. Doctore ac Professore  
celeberrimo &c. Præceptore suo  
semper colendo.

In illustri Academia Julia ven-  
tilandam exhibet.

**HARO ANTONIUS BOLMEIER.**

Die XXIII. Decemb.



*HELM AESTADII,*  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.  
Anno cIc lC LX.





## I. N. D.

### I.

Xercitium aliquod Academicum  
cum sim instituturus non ineptum fore ar-  
bitratus sum, eligere mihi materiam adhuc  
aliquomodo intricatam quidem, quæ ta-  
men in vitâ civili eximium usum habeat:  
præ reliquis autem nullum mihi occurrit &  
placuit argumentum majoris momenti, hodieque in aulis &  
& Rebus publicis frequentius, quam de Legatis. Si nunc  
ergo alacriori nisu huic rei insistam, non inanem operam  
me locatum æquus arbiter existimabit. Utilitatem ejus  
phaleratis verbis planam reddere non necesse; sed expe-  
rientiâ, omnium doctissimâ magistrâ, luculentissimè de-  
monstratam puto.

### II.

Rem ipsam itaque aggredientes, primo omnium ne  
homonymia aliqua fallamur, & aditus ad ulteriora oc-  
cludatur, nobis incumbit πολυσημασίας vocabuli diligen-  
ter indagare. Sine distinctione enim vocis ambiguæ vel-  
le ad rei considerationem venire, nihil aliud est quam  
tempus perdere. Ante omnia autem plane nobis nihil  
negotii hac vice est, cum Legatis, re sc. à defuncto relicta  
& legatario ab hærede præstanta: materia ab hoc nostro  
instituto planè diversâ, de qua & aliquot libri Digesto-  
rum & Codicis satis referti. Sed nobis sermo erit de tali-

A 2

bus Lc.

bus Legatis, qui sunt à Principe seu Republica ad alium  
aliamve negotii expediendi caussa missi.

III.

Nec minus vero & in hac significatione admodum  
ambiguè & impropriè vocabulum Legatus sumitur, & qui-  
dem significatu tali, à quo proprie sumtum quam maxime  
distat. Generali enim & latâ significatione sumitur pro quo-  
vis Nuncio, tam cœlesti & à Deo misso, ut sunt Angeli Apo-  
stoli & Prophetæ, qui & legati divini vocantur: quam qui ab  
hominibus legantur, cum tamen in rei veritate, vocabulum  
Nuncius à proprie dicto Legato multum abeat. Nuncius  
nempe non tantum publicè à Magistratum gerente, sed &  
à quolibet privato: absq; omni solennitate & pompa mitti-  
tur, quod Legato esset ignominiosum.

IV.

Propius paulo Legatis proprie dictis accedunt Orato-  
res, ut & Commissarii atque Deputati; reverâ autem et-  
iam inter hos omnes & proprie dictos Legatos adhuc non  
legis est differentia. Oratores namque non tantum de  
publicis sed & privatis rebus differere solent: Legatus con-  
tra non nisi de publicis agit. Fatemur nihilominus hodie  
Oratorum vocabulo etiam Legatos passim significari; se-  
cūs quam oīm tulit loquendi consuetudo. Commissarii  
& Deputati præterea, licet à multis, etiam in ipsis Imperii  
Recessibus, confundantur, etiam à judicibus inferioribus  
possunt mitti: & quanquam aliqui Deputatorum & Com-  
missariorum ablegentur à tali qui summa gaudeat potesta-  
te; hæc tamen ablegatio non aliam ob causam instituitur  
quam ob negotia privata & actiones forenses, nihilque  
tales Legati in publicis agunt.

V. Le-

## V.

Legati porro nomine etiam insigniri olim solebat apud Romanos Magistratus munere fungens, is cui data erat, quam primum modo Provinciam suam ingrediebatur, Jurisdictio: & cum plerumque hic esset persona militaris, jungebantur ei Adseffores juris peritissimi. Hujusmodi Legati erant: Legatus Cæsaris Legatus Proconsulis. Legatus verò propriè dictus Iurisdictionis expers est. Sumitur denique & pro Legato Delegatus cui tamen non nisi ex cognitione superioris Iurisdictionis seu potestas cognoscendi causas privatorum demandata est.

## VI.

Observandum porro, Legatos proprie dictos hodie non uno modo sed pro statu ac dignitate mittentis aliter atque aliter vocari. Ambassadores enim vocantur illi, qui missi sunt à tali qui summam habet potestatem. Recentissimo autem usu non omnes à supremis potestatibus publicorum negotiorum causa missi Ambassadores audiunt, sed solum illi qui majoris censemur dignitatis. Alij scilicet hodie Ablegati duntaxat, alii Residentes, alii vero Agentes audiunt. Principum Legati dicuntur Germanico vocabulo Abgesandten. Legati Pontificis si non sunt Cardinalitiae dignitatis dicuntur Nuncii Apostolici: Si sunt Cardinales jam creati, vocantur Legati à latere: Si vero nondum quidem sint Cardinales, proxime tamen spem habent, adeoque quasi in proxima sint potentia, dicuntur Nuncii cum potestate Legati à latere.

## VII.

Cognato etiam g adu cum Legatis habentur Obsides, Quorum olim misera & periculosa erat conditio: captivi enim non multum erant dissimiles, nec ipsis competit testamenti factio. Hodiè verò mitior & multo

melior eorum est status, nam corpora eorum æquè ac Legatorum sacrosancta habentur, cæterisque Legatorum privilegiis gaudent. In hoc duntaxat à Legatis maxime differunt, quod eorum potestas veniendi, abeundi agendi & vivendi sit magis restricta limitibusque inclusa, quam Legatorum proprie dictorum.

IIX.

Nominis autem derivationem quod attinet, vocabulum Legatus nonnulli derivare volunt, à Legatione & verbo Legare: Alii à Legendo, cum nonnisi lectis & selectis splendidum non minus & periculosum hocce munus imponi debeat. Utriusque autem derivatio non videtur esse absurda.

IX.

Quum autem fundamentum disputationis situm in definitione, Legatum sic definire placet: Quod sit persona publica, electa, & ad negotium aliquod publicum expediendum solenniter missa, ab eo qui potestatem mitigandi habet.

X.

Legationes quando ortæ sint, quæque prima eorum fuerit: certò definire impossibile est: cum tot annorum Historici non extant. Hoc verò probabiliter ratione optima potest colligi: primis mundi annis in tanta hominum paucitate eas non fuisse, cum cuilibet sua ipsummet expedire esset facillimum: Postea vero crescente hominum multitudine, societatibus initis, bonorum & prædictorum divisione facta, regnis item & dominatibus institutis, ratio dictitat, inter privatos primum simplices, missiones forsan commerciorum, postea & inter dominantes Reipublicæ & ditionum suarum gratia legationes, ab uno ad alterum factas. Vnanimi ergo & tacito quasi consensu or-

su ortæ sunt Legationes, ut & earum multa jura: Jure autem civili cujusque populi roborata & adaucta.

XI.

Non frivola itaque de causâ, sed urgente necessitate, tam privatorum quam in publico viventium, primum missiones deinde & Legationes originem traxisse videmus, Reipublicæ nimirum maximè interest, ut cum eo, qui cum vel ipse non vis vel non potes agere, per alium agatur: idq; multis causis impulsivis & irritantibus. Quæ causæ cum sint infinitæ, de plerisque omissis nos unam duntaxat alteram adducemus.

XII.

E levissimis autem unam esse non puto, quod raro conducibile sit Reipublicæ & statui communi, Magnates & Principes ipsosmet esse diu coram, & in familiari conversatione: idque quia facillimè levi etiam de causa aut novum odium potest exoriri, aut acceptum vulnus recrudesce, vel unus alterve nimis familiariter sese gerens alteri contemtui esse. Utistud & Clar. Dom. Præses Disput. de Majest. Imperantium.

XIII.

Non parum quoque adjuvat movere: quod Reipublicæ intersit, ne vires subditorum enerventur, aut inanibus sumptibus Principum ærarium exhauriatur: fieret autem talis profusio, si Principes ipsi semper in conventibus coram sese sisterent, præsertim hisce temporibus, ubi nemo alteri luxu & pompa vult cedere. Legatus sane saepe & plura potest ex voto expedire & multo minore cum sumtu, quam si ipse dominus adesset, domini mittentiss existimatione nihilominus manente salva.

XIV.

Interim tamen haud arbitramur, viorum Principium  
com

conventum improbandum esse. Imo fatemur iis interdum  
longe plus quam Legationibus posse effici. Tantum hic  
nobis sermo est, defrequeute diurna & nimium fa-  
miliari conversatione: utpote quæ raro sine alterius insi-  
gni & sæpè prodiga jactura fieri soleat. Nec vero aliàs  
negemus, id quod & ex historiis patet, sæpe unico bellige-  
rantium ducum colloquio, milite ab utraque parte jam  
tum in procinctu & acie stante, pacem fuisse initam: quod  
pro solos ministros & Legatos pluribus annis fieri non po-  
tuisset. Etiam tamen in talibus mutuis Principum collo-  
cationibus, Consiliarios fideles, prudentes ac circumspe-  
ctos semper adhibendos esse, censemus.

XV.

Perspecta Legatorum utilitate, sciendum ulterius e-  
rit, quis demum possit, cuive liceat veros & proprie di-  
ctos Legatos mittere: & ad quem tales Legationes fieri  
possint & debeant: quæ porro personæ adhibendæ: & de-  
nique quæ jura in compensationem laboris ipsis sint con-  
cessa.

XVI.

Quod primum attinet, recepta est omnium Docto-  
rum & Politicorum sententia; Legationes proprie di-  
ctas (de Provincialium enim missionibus, de quibus & in  
Digestis sepissime sit mentio, jam nobis non est sermo) à  
nemine posse institui, nisi summa gaudeat potestate. Ta-  
les nunc sunt in statu monarchico Princeps, mas sit sive fœ-  
mina, modo clavum imperii teneat: in Aristocratiâ Pro-  
ceres: in Democratico statu Populus, vel si is convenire  
non possit, Plebis Tribuni magistratusve, in hoc populi vi-  
cesgerentes. An verò & hodie solis hisce & non etiam aliis  
hæc mittendi potestas sit acquisita, dubium est mihi: Et  
vero potius contrarium experientia doceri videtur.

XVII.

## XVII.

Privatis personis hanc potestatem non competere, est  
indubium. Nec vero quenquam fore arbitror, qui hoc,  
nisi vocabulum Legatus in latissima significatione accipere  
velit, sit negaturus. De eo tamen merito est quæstio: an  
Illustribus Imperii nostri Principibus, Civitatibus imperi-  
alibus, & Collegiis privilegiatis: qui Imperatorem ut Ca-  
put & Dominum suum agnoscant; hoc jus competit.

## XIX.

Electores quod attinet, licet hi sibi & Imperio Im-  
peratorem tanquam Caput & Dominum eligant, jus ta-  
men mittendi Legatos sibi competere constanter alle-  
gunt. Nec eorum assertio multum infirmis nititur fun-  
damentis. Cum enim Status Imperii hodiernus sit mixtus,  
& totius Imperii regendi absoluta potestas non amplius  
penes unum, sed cum aliis communicata, illos inter quam  
maxime Principum Electorum dignitas & eminentia hodie  
crevit. Et quidem crevit in tantum, ut nec Regibus exteris  
in Comitiis nostri Imperii solennibus cedere velint. Quis  
igitur ipsis hanc potestatem denegabit? Præsertim cum  
etiam Imperatoris totiusque Imperii consensu concessam  
& confirmatam sibi illam habeant. Ut haud obscurè et-  
iam videre est passim in Aurea Bullâ.

## XIX.

Major difficultas videtur esse, si quæstio instituatur de  
cæteris Principibus: quia hi gradu & dignitate inferiores  
sunt Electoribus. Cæterum & omnibus his jus illud æque  
competere, haud injuria contendunt: quoniam ipsi quo-  
que sive Consiliarii Imperatoris, & Reipublicæ Imperii  
membra splendidissima, habeant insuper amplissimas di-  
tiones jure hereditario sibi acquisitas, in quibus ipsis ma-  
jor sæpe majestas (secundum Maximiliani Imperatoris di-

B

(sum)

&um) & liberior potestas agendi est, quam Imperatori in  
Imperio. Observandum autem est, etiam Principes mul-  
tum inter se dignitate ac potentia differre: nec omnes  
jus hoc sibi sumere, sed tantummodo paucos, existimo.  
Vtrum verò & hisce jure debeatur facultas Legatos mit-  
tendi nec ne, ex consuetudine cum primis judicandum est,  
aut diuturnâ præscriptione temporis.

XX.

Restant adhuc Civitates: Collegia sive corpora: item  
die freye Ritterschafft der Schwaben und Franken. Cæte-  
rum his omnibus optimo jure videtur denegandam esse  
hanc licentiam: Quia & civitates, & illa collegia seu cor-  
pora, instar sint privatorum & Dominis suis subditæ. Ex  
adverso Urbes Imperiales præ cæteris municipalibus  
eminent, & tertium classem Imperii Ordinum faciunt: eo-  
que haec tenus & ipsæ participant regendi Imperii jura, non  
minore quam Principatus est autoritate. Verum & hic con-  
fuetudo ante omnia est consulenda. In neutram enim pat-  
tem certa argumenta suppetunt.

XXI.

De Urbibus sociatis fœdere quod Hansicum appell-  
lant, major dubitandi est ratio, idque quoniam societas  
illa potissimum constet urbibus municipalibus & quæ o-  
mni carent regendi Imperii jure. Certum tamen est quod  
à quam multis Regibus externis eorum Alegatis jam du-  
dum is honor fuerit habitus, qui concedi solet liberorum  
Populorum Legatis. Itaque taltem apud illos jus Lega-  
tionis possunt sibi petere: etsi jure ab aliis id possit fortasse  
denegari.

XXII.

Dum porro Legatio tam splendidum sit munus, nec  
etiam periculo, præsertim in civilibus bellis, vacet, mit-  
tentium

centium vero maxime intersit ut commissa negotia prudenter & ex voto expediantur, non cuivis ergo ambienti & obvio debet imponi: sed eligenda erit persona ad tale munus subeundum apta, quæ prudentia & dexteritate sua se jam tum commendaverit. Electio autem ista debet fieri à mittentibus. Qui rursus in statu monarchico est Princeps: cui si personæ mittendæ conditio haud satis cognita, is primario suo ministro selectionem illam debet committere. In Aristocratiis & cæteris Rebus publicis eligunt Proceres illique quibus à populo hæc potestas concessa est.

### XXIII.

Experientia autem testatur estque rationi consentaneum: in statibus illis popularibus, nullam posse fieri decisionem nisi prius collecta sint vota. Cum votorum vero interdum maxima possit esse contrarietas, in casu tali respublica periculo non vacat. Si enim vota imparia res salva est & pluralitate votorum fit conclusum: si verò sint paria & utraque pars jure suo pertinaciter se fundet, personæ quoque propositæ æque sint idoneæ, ne tumultus interni oriuntur, quibus tota sæpe Respub. turbari possit, sorti rem committendam censeo.

### XXIV.

Nec obstat, quod judicium sortis sit periculosum & fortunæ non rationi subjectum, ideoque non trahendum in consequentiam: & sorti nihil esse committendum, nisi in casibus jure expressis, præsertim si de præjudicio alius tertii agatur: sed controversias per judicem esse terminandas. Hæc omnia enim non habent locum in his & similibus casibus dubiis, ubi & judex haberi potest, & lites quam brevissime majoris mali evitandi causa abbreviandæ. Utique & in locum Judæ Ischariothæ electus est

in Apostolum Matthias, ex parte quidem suffragio, ex parte tamen etiam sorte: seu constat ex sacris Apostolorum Actibus.

XXV.

Non absconum porro quoque videtur esse judicium illud sortis. Sed in causis dubiis & necessitatis tempore, ut remedium & quasi condimentum adhiberi posse, etiam alias jure divino & civili patet. Concedimus quidem neminem facile ad sortis judicium cogendum esse. Si vero aut uterque litigantium consenserit, aut salus Reipublicæ id exigat, tam firmiter stare sorte quilibet tenetur, ut nec appellationi nec restitutioni locus sit, modo aliquis sit lumen finis, & reipublicæ negotia promoteantur.

XXVI.

Quis mittere possit Legatos jam ostensum est. Inquendum proxime erit, ad quem talis Legatio fieri possit. Atque olim quidem Legatio proprie dicta, ut & in praecedentibus demonstratum, à nemine potuit institui, nisi summa gauderet potestate: nec ad quenquam nisi sui similem, neminem itidem superiorem recognoscentem. Hodiernis tamen moribus in multis se res aliter habet. Hodieque tamen nec ad subditos nec à subditis ad suum superiorem proprie dicta fit Legatio. Qui sane fortemittuntur vel ad salutandum vel negotiis caussa vel ad gratulandum, non Legati, sed potius Ablegati Abgesandten/ Abgeordnete dicendi sunt.

XXVII.

Subditorum vero cum magna differentia reperiatur, adeo ut quidam aliqua ex parte & ratione certi aliqui districtus sint subjecti, ratione cæterorum bonorum sint libertimi; quidam etiam viribus suis dissidentes propriis Patronum sibi elegerint Principem vicinum certa-

summa

summa & quidem annua ipsi promissa. Ad hos cum nec vere Domini nec vere subditi sint, in quantum sunt sui juris optime Legationes mitti posse puto.

### XXIX.

In civilibus tumultibus dubia est decisio: an recte ab una parte ad alteram possit Legatio institui. Periculum quoque quam maxime est, tale munus subire, cum nulla pars velit videri injustam fovere causam, & rebelis nomine postea insigniri. Et vero ad rebellem nullo jure potest mitti Legatio: secundum Ciceronis sententiam de Antonio, *Ad hostes non ad cives Legatos esse mittendos*. Quod si tamen tale oriatur bellum, ut quælibet pars videatur causam publicam agere, & jure belli jam utriusque parti sit acquisita fere summa potestas, licet utrinque Legati possunt mitti. Idq; quoniam id uti fiat publice interest. Id quod in omnibus civilibus negotiis unice spectandum.

### XXIX.

Idem quoque dicendum puto de Piratis, Latronibus & Proscriptis. Nec enim cum his ulla debet esse juris societas sed summa disjunctio & dissolutio: & per consequens nobis cum illis nihil negotii debet esse, ut aliqua Legatio ab una parte ad alteram fieri possit. Si tamen earum causa alia & quidem publica sit causa, jura justorum & legitimorum hostium tandem hi etiam homines consequuntur. Et sic æque ad illos quam ad alios hostes, amicos seu confederatos Legationes mitti possunt.

### XXX.

Quæstio aliqua adhuc est residua: quid de Infidelibus dicendum, cum quibus nulla nobis debet esse communio. Sed cum satis sit ostensum, fœdera cum ipsis insolutem Reipub. posse licite iniri: magis & hoc licebit,

B 3

cum

cum Legatio etiam sit juris gentium. Nec vero religio potest tollere jura gentium.

### XXXI.

Nulla porro potest institui Legatio, nec ullum mandatum expediri, nisi accedat tertius, cui munus illud imponatur. Videndum itaque nunc, quænam & qualis ista persona esse debeat, quæ eligenda & Legationi obeundæ apta sit habenda. Nec vero hoc semper in arbitrio & voluntate suscipientis situm esse debet, velitne subire nec ne. Perinde atque nec alia quævis à Reipublica vacatio civi cuivis in bene constituta republica permitti potest. Hinc etiam pœnis, si opus est, ad munus suscipiendum & officium hoc patriæ & Reipublicæ legationis præstandum cogi quis potest: ceu recte statuitur etiam per L. sciendum §. 5. ff. de Legatis. nisi fane expresse muneri se imparem doceat. Maxime omnium autem eligendus est mas non fœmina. Fere secundum effatum illud D. Pauli Apostoli 1. Corinth. 14. v. 34. Taceat mulier in Ecclesia, & alterum Jcti Pauli l. 12. pr. ff. de judiciis: Taceat mulier in foro. Et vero cum recte etiam per l. 1. §. 5. ff de postulando removeantur à judiciis mulieres ob sexus imbecillitatem, multo minus ipsis aditus temere permittendus erit in publicis causis peragendis.

### XXXII.

Non temere inquam. Ea enim interdum est necessarias, ut sicut Reip. munus ita & Legatio debeat fœminæ committi. Ea quoque est nonnunquam fœmini ingenii virtus, ut tuto mulier ita credi possint. Raro tamen: quia & necessitas pariter & virtus illa rara est.

### XXXIII.

Est vero & in viri electione, cui munus Legationis imponendum, magna prudentia adhibenda. Considerandæ

randæ nempe erunt ipsius mittendi, ingenii, corporis, fortunæque dotes quam diligentissime. An nimirum valeat recto judicio & memoria. Ne nimium ergo sit igneus & acutus; quia acuta ut facile scindunt ita & facile habescunt. Nec quoque sit stupidus aut deses aut socors.

XXXIV,

Præcipua autem & primaria requisita in Legato sunt, ut Domino suo sit fidelis, nec donis se corrumpi patiat: Susceptum semel officium ne deserat, nisi urgentissimæ adsint causæ: Sit prudens valeatque judicare quænam salutaria sint ac necessaria ad finem sui Principalis obtinendum & quænam non sint: Ut possit intelligere adversæ partis aliorumque consilia & actus, quonam tendant: Non sit turbulentius nec etiam imbellis, sed fortis & constantis animi; Adversa si quæ obveniant, forti excipere pectore sit paratus, magnis Legatorum juribus privilegiisque tuto fidens: Venere porro & Baccho sit abstinentis: his enim Legatos in summas redactos angustias & mortis pericula, multaque arcana, sæpe propalata, Historiæ testantur. Vno verbo: Is debet esse, qui & possit & velit fungi mandato munere. Ad facultatem certe & voluntatem omnia Legati requisita commode referuntur.

XXXV,

Nobilitatis quoque rationem aliquam, præsertim in Legationibus officiosis habendam esse censemus. Certe non mittantur homines viles & propter obscuros natales contemti, multo magis ne personæ infames mittantur, exigit utilitas Rcp. non simpliciter quidem, ex opinione tamen recepta hominum, cuius in republicâ magnum est momentum. Et vero saltim infames personæ & mittenti & ad quem mittuntur summo sunt opprobrio, Eaque justa possit esse causa, si ejusmodi Legati (quod alias est

etiam)

etiam juris gentium) haud admittantur. Vilitas autem & aestimatio personæ accipi debet, tam respectu mittentis, quam ejus ad quem mittitur. Conjuncta vero esse debet cum illa generis Nobilitate & insignis eruditio, Politices & Historiarum, præsertim ad scopum collimantium, cognitio, & suavis denique eloquentia. Verbo: junctæ sint oportet, quas paulo ante memoravimus dotes. Si sane hisce necessariis requisitis haud sit præditus, licet genere sit nobilis, aliis ignobilis virtute & arte excellens ipsi merito præferendus.

### XXXVI.

Corporis bona quod attinet: Legatus debet esse valido & sano corpore, nec morbo saepe laborans: præsertim si Legatio subeunda sit ad loca dissita. Ad iter enim aliosque labores perferendos corpus morbosum ineptum est. Legato quoque sit recta membrorum conformatio. Deformes enim, nisi excellens eruditio & dexteritas obumbreret corporis vitium, semper ludibrio habitos & irritos, historiae testantur. Quod pertinet illud etiam de Legatis quibusdam Romanis scomma: eos nec caput, nec pedes, nec cor habuisse.

### XXXVII.

Ætatis porro à mittente non levis debet institui examinatione, an nimirum sit justa & vivida. Tyronibus sane, ceu rerum gerendarum ex defectu eruditionis & experientie imperitis, non temere Legatio committenda est. Imberbis namque ætas saepe agit, quod recte fieri canticies negaret. Non tamen & decrepiti jam senes ad Legationem sunt cogendi; tum propter jam præstata reipub. officia, tum quod ad injuriam aëris itinerisque tolerandam, (cum Senectus ipsa sit morbus) inepti sere sint & sic à militibus excusandi. Id quod etiam cautum est l. 2. 9. 8. ff. de Decurionibus.

### XXXIX.

### XXXIX.

Cum vero Senectus sit venerabilis, & /ceu in proverbio est) umbra senis aut consilium aliquando prætent juvenum gladijs & hastis, existimaverim nec senes nisi sint admodum decrepitæ ætatis, nec juvenes plane reijciendos à Legationibus; præsertim si Legatio officiosa sit futura, ad quam expediendam juvenis sæpe habilior esse potest quam senex. In arduistamen causis Legatos justæ ætatis mittendos, hisque juvenes adjungendos dixerim. Annorum taxatio justa mittentis arbitrio & judicio merito est relicta.

### XXXIX.

Bonorum præterea fortunæ non exigua est habenda ratio: ne nimirum Legatus sit pauper & ære alieno, præsertim Reipub. nimirum obstrictus. Licet enim divitiæ nihil faciant ad essentiam Legati, nec sit de genere malorum paupertas, nec mentem criminis aliquo inquinet vel conscientiam liget: ut nunc tamen sunt hominum mores, facit paupertas hominem contemptum, & deridendum. Juxta illud Juvenalis Satyr. 3.

*Nil habet infelix paupertas durius in se,  
Quam quod ridiculos homines facit.*

Legatum porro paupertas etiam non nihil suspectum solet reddere: quoniam inops præsumitur, nihil neglecturus quo ab inopia sublevetur. Secundum Horatij illud

*Magnum Pauperies opprobrium; juber  
Quidvis & facere & pati.*

Nec duntaxat pauperem revera esse, sed & pro paupere haberi, res est præjudicij haud experts. Ut pote quod facile quis præsumatur corrupti pecunia posse ob cgestatem /ceu observatum etiam est Glossatori in l. 3. pr. ff. de testibus. Si tamen de fide & constantia alicujus satis constet, etsi jam admotus officio bonis labatur, ob id ab officio Legationis

C

tionis

tionis non removendum censeo. Afflictis sane non est addenda afflictio, nisi summa exigente reipub. necessitate, quæ merito suprema lex est.

XL.

Quot porro genera, seu magis species, Legationum sint, vix describi potest. Cum nimirum varient pro ratione causarum Legationem exposcentium, & arbitrio quoque mittentium. Aliquæ sane sunt negotiosæ: vel ad bellum vel ad fædera vel ad sponsalia & alia pacta ineunda. Aliæ dicuntur officiosæ. Aliæ item honorificæ. Utræque fiunt vel ad gratulandum vel dolorem contestandum. In hoc porro differunt, quod hæ voluntatis, illæ quodammodo necessitatissint. Aliæ sunt liberæ, aliæ non. Aliæ ad certum tempus & certam causam, aliæ vero quasi perpetua. Sed ceu ante diximus, omnes illæ differentiæ speciatim recenserem vix possunt. Eoque etsi de singulis agere non fuerit forrassis inutile, nos tamen non nisi quædam & quasi obiter perstringemus.

XLI.

Maximum igitur discrimen inter Legatos propriæ dictatione certarum circumstantiarum esse, jam dictum. Non levem vero differentiam facit etiam mandatum mittentis. Quidam scilicet mandata habent adeo specialia ut non possint agere, utq; quod ab iis actum est non valeat, nisi mandatis sit comprehensum. Quidam contra (qui & Plenipotentiarij insigniri solent) mittuntur cum libera potestate gerendi negotium, pro sua prudentia & ratione temporis, quod Domini illorum acta velint ratihabere. Priorum modum legandi & mittenti & Legato, nec minus & illi ad quem mittuntur (quanquam secundum Grotium lib. 2. cap. ii. Legatus contra arcana mandata Principem suum obligare possit) saluberrimum omnium & tutissimum,

mum, posteriorem s<sup>e</sup>pe noxiū & periculi plenum esse  
arbitror.

XLI.

Liberi alias Legati & illi dicuntur qui non Republicae  
causa & ob publica negotia expedienda alegantur, sed qui  
cum propria sua negotia expedire cupiant, & bene antehac  
de republica sint meriti Legationis titulo ornati tantum  
sunt, ut ipsis tūtum sit iter ac splendidior quam alias accessus  
& recessus. Verum hi proprie dicti Legati non sunt eo que  
nec nostri argumenti.

XLII.

Legatorum porro differentia aliqua etiam in hoc est,  
quod aliqui ad certum aliquid negotium expediendum &  
ad certum tempus mittantur, quo confecto seu effluxo sta-  
tim redeant, Dominoque referant. Aliqui vero sunt quasi  
perpetui, missi potius ut aliorum ad quos sunt missi actiones  
observent, caveantque ne quod præjudicium dominis suis  
creetur alicubi, quam ut quicquam agant. Non desunt  
quidam qui his titulum veri Legati ademptum velint, præ-  
sertim quia non admittuntur nisi præcesserit pactum re-  
ciprocum. Ceterum pactum illud non infirmandi sed con-  
firmandi majorisve securitatis gratia potius fit, & usus vul-  
garis etiam illos Legatorum nominibus cohonestat.

XLIII.

Facto autem decreto, quod Legatio sit instituenda,  
si persona quoque electa jam sit, nihil prius Domino  
mittenti faciendum restat, quam ut curet conferri  
sumitus in Legationem necessarios, utque justus apparatus  
fiat. Atque apparatus quidem apud priscos milites con-  
stabat solennibus, quæ hodie plurima ex parte obsoleta  
ut solent ritus & ceremoniae, quia non nisi more & sola  
hominum opinione nituntur, facile mutari. Ne vero neces-  
sarij siant sumitus, mutari nunquam poterit. Legatus enim

C 2

in con-

in conventibus, sessionibus & omnibus actionibus Domini personam repræsentat, ejusque vices gerit: quod sine sumtibus magnis fieri nequit. Nec etiam Legatus cogi jure poterit, ut suis proprijs sumptibus (quamvis experientia aliquando aliter doceat) alibi vivat & Domini sui existimationem ad dignitatem sustentet.

XLV.

Porro Personæ illi, quæ hoc arduum munus in se suscipit, aut cui etiam invito imponitur, (nam publica à privatis haud facile declinari possunt ut ante diximus) nihil magis consultum erit, quam ut curet mandata sibi reddi de omnibus specialissima, quæ omnia quantum possibile expedienda & proponenda comprehendat, & quidem in scripto. Etsi enim Plenipotentiariis non possint aut debeant agenda omnia præscribi, illa tamen libera agendi potestas necessum est scripto etiam sit commissa.

XLVI.

Quod mandatum vero est, ejus limites non profecto licebit egredi Legato: sive committendo sive omitendo: ceu recte est constitutum etiam l. 6. ff. mandati. Eoque nec temere à mandato recedendum ipsi fuerit, quamvis ipse videat aliter rebus sui Domini expedire.

XLVII.

Dissentire tamen in hoc multos non ignoramus. Licens nempe Procuratori & mandatario optimo jure fines etiam mandat transgredi, si tantum bono fiat fine, & intentio mandantis expediatur, ejusque causa melior redatur: cum concessa consequenti & antecedentia necessaria & omnia media concessa intelliguntur, ceu dicitur l. ad rem mobilem 55. & l. Legatam 62. ff. de procuratoribus. Hæc enim omnia possunt quidem concedi in causis quibusdam privatorum: at vero cum illa libertas ne quidem in omnibus privatis

vatis negotijs, si illa sint paulo majoris momenti, sit temere cuiquam mandatario concedenda, facile apparet in reipub. arduis negotijs multo minus permittendam illam esse.

### XLIIX.

Si vero interdum causa ita sit comparata, & modus tractandi adeo incertus, ut Legato nullum & certum mandatum possit tradi, tum mittendus est Legatus cum amplissima agendi potestate, quid sibi è re futurum visum fuerit, adeoque cum charta nuda sigillo duntaxat obsignata. Alijs mandatum quidem dandum, non tamen speciale, plurimæ vero prudentiæ Legati committenda. Prioris generis tamen Legationes omnium sunt periculosisimæ tam mitten- ti quam missio, Legatos certe interdum in extrema præcipi- tant. Posterioris vero generis meliore quidem sunt conditi- one non item tamen periculi expertes. Semper vero tutissi- mum est, si, quoad fieri licet, Legatus de singulis casibus & emergentibus causis, fideliter renunciet mittentibus, & ab ipsis instrui se se petat, præsertim si negotium sit arduum & periculosum.

### XLIX.

Priusquam porro itineri se se det Legatus, ante omnia det operam, ut literis fiduciarijs vel testimonij probe instruatur. Impossibile enim est, ut sine ijs fidem alibi inve- niat ad negotia pertractanda. Et vero hæc necessitas cre- dentialium literarum aut testimoniorum non ex arbitra- rio jure hominum provenit, sed ex ipso naturæ æterno & immutabili instituto. Quod ipsum Ampliss. Dn. Praeses in Concussione Fundamentorum fidei Pontificiæ: & cum aliasrum prolixæ Responce altera ad Valerianum Ma- gnurn Capuccinum cap. 17. demonstravit. Qui proinde rectè ait nec Legarum à Deo missum sine certis ejusmodi documentis credi posse: qui autem sine documentis tali-

bus profitetur sese Legatum illum, neutquam ferenduni:  
& per consequens cum unusquisque Papa Romanus ijs care:  
at, & tamen velit haberi Vice Deus, omnes Papas execrati:  
onem jure mereri,

L.

Legatus præterea à Domino jam missus & creditivis  
uti vocantur aut literis fiduciariis quantum fieri potuit suf-  
ficienter instructus, ubi appulit quo missus est, primum  
omnium exhibeat suas illas literas illi ad quem missus est.  
Nec enim hoc intermissio quidquam poterit agere. Dein-  
ceps vero omnem impendat operam, ut nomine sui Prin-  
cipalis & pro dignitate ejusdem honeste accipiatur, hone-  
ste jam acceptus nihil magis studeat, quam ut ad exponen-  
da sibi à Domino suo commissa admittatur. Admissus de-  
niq; non inani, metaphorico, & thrafonico utatur sermo-  
ne, sed præmissis quæ appellant curialibus oratione non ni-  
mis longa nec obscura necessaria ad rem facientia propo-  
nat, aperte & distincte, vel vero petat locum & tempus sibi  
decerni, & certos commissarios coram quibus & cum qui-  
bus possit accuratius & ulterius negotia sua agitare.

L.I.

Circa linguam qua propositio instituenda, loci cum  
sui unde missus, tum ejus quo missus, consuetudo recepta  
maxime erit observanda. Tametsi enim reapse parum in-  
tersit, qua lingua utatur: quum vero hodiernis moribus  
submissionem aliquam videatur significare, si propositio  
in alterius Principis vel partis lingua fiat, quilibet Legatus,  
præsertim apud eos, ubi illa opinio invaluit, Domini sui  
lingua & interprete deinde utatur, qui transferat in linguam  
ejus, an quem missus est. In nostro Imperio Germanico  
alijs, & Latina lingua tanquam communis, si cum exteris  
res sit Cæsari & Imperij proceribus, quam usitatissima est,  
non perpetuo tamen.

LII.

### LII.

Cum porro de loci prærogativa maxima sit inter magnates alteratio / à qua nec Germania nostra aliena est, in cuius conventibus publicis non quidem secundum dictum Cancellarij Polonici nihil aliud fere agitur; quam ut de sessionibus digladietur, plurimum tamen semper dat turbarum:) licet posset videri, esse de re leví & nullius momenti, quoniam tamen & Republicæ intersit, (ut eruditè statuit Clariss. Præses in sua Afferz juris Mogunt. principio) ut cuig, præsertim maximis Principibus, suum jus suaque dignitas servetur, & injuria eti modo illatæ maximè noceant exemplo: Legatus quoque accurate animadvertiset, ne Domini sui dignitas & prærogativa in sessionibus imminuatur, sed ipse, ubi quidem mos ille obtinet, Principis sui locum occupet & defendat, ut cuius personam semper repræsenter, adeoq;, & dignitate illius sit reputandus. Certe & in Legato non nisi cum gravissima mittentis injuria læditur honor.

### LIII.

Diximus ante, locum Principi debitum à Legato occupandum, illa tamen addita clausula: *ubi ille mos obtinet*. Ubi enim non obtinet, quoniam hoc quidem omne est iuris arbitrarij humani, atque adeo in hoc negotio voluntas pro jure est, mos cuiusq; regionis est servandus. Sic vetitum est Imperij Germanici legibus Legatis Electorū Principum missis ad Imperij comitia ad Electorum absentium qui misserunt mensam sedere aut locum ejus occupare: sed mensa nuda quidem illa derelinquitur certa, loco vero aliis Electoribus præsentibus cedere Legatus tenerur. Cujus exempla plura habentur in Politicis Imperialibus Goldasti: est autem & expresse cautum in Aurea Bulla tit. 24. in fine fer.

### LIV.

Admissione præterea & propositione jam ex voto fa-

ctay

ta, Legatus omnem moveat lapidem, ut quamprimum  
negotium commissum expediat, & illo feliciter expedito  
saltem cum Recredentialibus quæ appellantur literis re-  
mittatur. Si autem Legatus præter morem diu detineatur,  
illud domino suo renunciet eumque consulat an ipsi sit  
discedendum an ulterius expectandum. Quoniam enim  
ista justo longior detentio & remoratio est nonnihil cum  
mittentis injuria conjuncta, etiam atque etiam cavendum  
Legato est, nequam injuriam patiatur ipse domino fieri,  
domino ignorante. Nec tamen sine causa gravi querelas  
deferat ac det turbas inquis suis querelis & sua importuni-  
tate: præsertim si propositum sit Principi fovere pacem &  
amicitiam, idque ipsum reipublicæ expedit.

LV.

Ad hoc cum responsa æque ac mandata & Propositio-  
nes sint facti, quæ quomodo se habuerint non tam præsu-  
menda quæm probanda sunt. *Menoch. 7. præsumpt. cap. 15.* &  
licet Principis sit nuncius, non tamen credatur ei sine literis,  
ceu rectè docetur etiam *L. I. Cod. de Mandat. Princ. & L. Pro-  
hibitum Cod. de Iure. Fisci.* & quidem probandum originali:  
Omni modo ergo Legatus studeat, ut & ipsi eodem modo  
quo ipse mandata in scriptis exposuit, etiam in scriptis red-  
dantur responsa: si sane nihil sit quod multum obsteret.

LVI.

Responso autem accepto, ac scopo cur missus erat jam  
obtentio, aut vero, quod si omnia licet nondum sint expe-  
dita, à Domino domum Legatus revocetur: ne ulterius  
inutiles profundantur sumptus, ad discessum se rursus pa-  
ret, & debito modo placidam dimissionem à Principe ad  
quem missus fuit, petat. Quæ ipsi quoque, nisi indebitè &  
insolenter se gesserit jure gentium denegari non poterit.  
In dimissione autem rursus Legatus eodem modo atque in  
admis-

admissione Domini sui autoritatem ac eminentiam sedulò custodiat ac observet.

LVII.

Dimissione porrò jam impetratâ, si Legatio ita fuerit Domino ad quem grata, ad significandam benevolentiam solent Principes Legatos admodum laudis interdum honorare donis. De eo autem jam quæritur: Legati an suo Domino illa acquirant? Distinguendum autem videtur: & primò quidem videndum an Legibus & statuto hoc de casu sit cautum, & si cautum, tum illo erit standum. Deinde videndum, cujus respectu data sint dona, quod ex pretij quantitate æstimandum videtur.

LIX.

Domum denique reverso, ne frivola sit tota Legatio Illaque negotiatio, Legato incumbet Dominum mittentem totius factæ expeditionis certiorem reddere, ac illi recensere etiam ferè minima ad negotium illud facientia (quomodo nimirum acceptus, habitus atque dimissus sit) & omnia relatu digna revelare. Quoniam verò hoc præstare nemo possit, nisi omnia, quæ eveniunt diligenter scripto annotarit: hinc manifestum est Legato competere, ut durante Legatione ēΦημερίδας conficiat, inque iis studiosè comprehendat, quæcunque indies ad rem nonnihil facientia solent evenere.

LIX.

Cæterum de Legatorum officio hæc fortasse sufficiunt, Paucis addendum quid privilegij & quæ jura Legatis in solamen & compensationem laborum reipubl. causa suscepторum data sint. Nec verò honor qui iis ab aliis conferri solet in mittentium respectum, aut splendor comitatus tanti videtur esse.

LX.

Sunt autem Legatorum recepta passim jura varia.

D

Quæ-

Quædam enim concernunt Legati personam, quædam ea  
jus bona & actiones. Ea verò sunt quidem & Jure Civili  
Romano constituta: verum quoniam illud jus non obligat  
liberos populos ultra quam ipsis habet, prosequemur tan-  
tum ea, quæ Legatis jure partim divino & naturali, partim  
gentium moratorium longâ consuetudine competunt.

LXI.

Ad quatuor igitur potissimum præstanda Princeps o-  
mnis ille ad quem missio fit, obligatus est: primo ut admit-  
tat. Æquè sanè ad admissionem jure gentium tenetur (nisi  
urgentissimæ adsint causæ, & Legati notoriè sint scelerati,  
& à sceleratis ad nocendum missi: sic enim optimo jure  
rejiciuntur) secundò ut curet ne violentur, idque quoniam  
publicâ fide Legati adveniunt: Tertiò ut Legatos curet au-  
diri & cum iis agi: Quartò ut tutò & honestè faciat dimitti.

LXII.

De Legatis assiduis seu ut hodie vocantur Residenti-  
bus tamen possit quæ incidere quæstio: an jure gentium  
aut naturali Princeps quoque obligetur eos admittere vel  
pati inter suos securè versari. Quod primum attinet, video-  
tur Principem jure Gentium haud teneri, continuè obser-  
vatorem actionum suarum in aulâ suâ tolerare, præsertim  
quum soleant illi in arcana quævis negotia inquirere &  
Dominis revelare. Si tamen aliorum Principum Residen-  
tes jam tum ibi degant & jam usu receptum sit Residentem  
quemvis non recusare, meritò hostilis animi signum po-  
rest haberi Residentis recusatio, modò ille vir sit bonus.  
Admissus verò talis Residens seu Legatus assiduus, ratione  
pacti & juris gentium, & securitate & aliis privilegiis Lega-  
torum debet frui.

LXIII.

Legati porrò personam quod attinet, non tantum ipsi  
sed

sed etiam (ut modo dictum est) respectu mittentis Domini  
justus honor, plena securitas immunitasque concedenda,  
Sancti enim & inviolabiles Legati sunt habendi, cum se-  
cundum dictum Herodis, etiam inter medios hostes ad  
quos missio facta, sola Legatio pacis sequestra esse debeat.  
Ideoque non tantum ipsi Legati sed & eorum comites, ut  
& supellex omnis, ab omni periculo debent esse tuta, adeò  
ut nec aliàs licet repressalijs possint detineri Secus sane si  
fiat, ipse Principalis eorum super injuriis & potest agere &  
postulare sibi dedi juris illius gentium violatores, nisi de-  
bita poena jam affecti fuerint: utpote quum magis ad i-  
psum, quam ad Legatos injuria illata spectet. Quod si ta-  
men Legatus clancularie & quasi furtim atque extraviam  
profiscatur: si item Princeps mittens sit fidei admodum  
dubiae: missionemq; ipsam ad suspectum Principem fieri  
notorium sit, neutiquam securitas illa & tutela Legato e-  
jusque comitibus vel naturali vel gentium jure convenit.  
Et verò plurimis exemplis monstrari potest, ab optimis &  
maxime moratis gentibus olim ita observatum esse.

LIV.

Alia autem inde emergit quæstio. An nempe viole-  
tur etiam jus gentium, si non præstetur securitas Legatis  
transeuntibus fines alicujus tertij ad quem missi non sint?  
Videatur autem cui dicendum non videri, cum inter hos &  
illos nulla Legationis jura intercedant. Verum enim verò  
securitas eundi non tantum ex jure illo gentium quod Le-  
gatis competit, verum etiam ex illo communi est: quod ni-  
mirum innoxius transitus unicuius exterо, cum quo nulla  
intercedit hostilitas, aut à quo inimicum nihil agitatum  
iri certum est, iure gentium imo & naturæ debeatur. Si  
itaque in hunc modum etiam Legati sese habeant, vio-  
latio illorum & naturæ & gentium juri repugnaverit. Si

D 2

verò

verò certum sit, illos machinaturos quicquam reipub. ad-  
versum, aut vero ab hoste sint missi, ratio longe est alia.

LXV.

Si inquam certum sit. Imo verò si id ipsum fuerit mul-  
tum probabile, possunt merito illi domum remitti ad  
suos. In rebus enim civilibus justa suspicio futuri damni  
dat jus ab amicitiae Legibus non nihil abeundi. Contra  
mandatum verò si transire moliantur Legati etiam pœnis  
affici possunt. Legatione sane inhibitæ aut omissa, non est  
cur amplius præstetur securitas.

LXVI.

Non inepit autem hic jam etiam id queritur, quomo-  
do securitas Legatis jure gentium concessa possit amitti.  
Nec verò de causa est omnium sententia. Quidam eam a-  
mitti volunt vel factio mittentis vel factio ipsius Legati. Fa-  
ctio mittentis, si ipse nimis Legatos violaverit: & sic jure  
talioris jus Legatorum non violari sed reddi. At verò Gro-  
tius vir summus recte, cum jura illa securitatis non tan-  
tum obmittentis sed & ob missos sint introducta, ideo ob-  
mittentis culpam non committendum à Principe id quod  
ipse in alijs reprehendit. Idem verò dicendum videtur, si  
Legatus delinquit: quoniam jus securitatis præcipue com-  
petit mittenti, eoque culpa missi non potest amitti. Mit-  
tentis verò fuerit punire missum, ne videatur approbase.

LXVII.

Quod si uterque, & Mittens scilicet & Legatus, jus gen-  
tium violet, aut aliquis prætextu falsæ Legationis fallere  
cupiat vel exploratorem agat, aut diutius jusso voluptatis  
& privata de caussa emanserit, quin talis Legatus pro ratio-  
ne delicti puniri possit, ut tamen simul publicæ pacis habe-  
atur ratio, non videatur dubitandum. Certe talis Legatus  
si jam aperta fuerit culpa, non admittendus, aut admissus  
statim

statim rursus dimittendus videtur. Cum sane verum Legatum non agat nec veri Legati jure possit frui: ceu recte significatur etiam L. 4. Cod. de Commerciss.

LXIX.

Ob delictum autem privatum commissum à verò Legato, in quo foro respondere meritò teneatur, alia adhuc est controversia. Distinguendum autem ante omnia est, inter delicta quæ ante Legationem & quæ durante Legatione sunt commissa. Primi generis, puniri ab eo qui vel admisit Legatum, vel transitum liberum ipsi permisit, non possunt. Si enim possent, tolleretur Legatio. Cum porrò ab utraque Legatus ille sit exceptus, tanquam persona præsentans mittentem Principem, atque adeò securitas ipsi concessa est, non ut privato sed personæ publicæ, violaretur & data Principi mittenti & simul ejus autoritas. Major est difficultas de delictis durante Legatione commissis. Et enim naturalis etiam juris est, neminem abuti debere privilegio suo & qui committit in privilegia, se horum indignum facere. Et quidem grandia crimina securitatem tollere, non est absurdum.

LXIX.

At obstat, quod securitas illa potius pertineat ad jussummittentis: qua ceu ante diximus privari non potest obculpam alienam. Optimum factu videtur, si mittenti Principi indicantur Legati delicta, & petatur illi à Legatione removeri, ac justa poena affici. Quod si tenuerit mittens, potest juberi abire. Nec enim jure gentium Legatus haberi potest, qui injuriam non dubitat in locis peregrinis facere aliis. Poterit etiam puniri eo loco ubi deliquit, quoniam Princeps quoque tenetur suos ante omnia ab injuria præstare tutos. Olim petebatur deditio, quam & hodie peti posse existimo.

D 3

LXX.

LXX.

Cum porrò Legati sàpe inviti cogantur subire onus Legationis, quidam etiam id aliquando faciant proprio sumtu, salarium præterea ipsorum sit vel nullum vel parvum, iniquum profectò fuerit, si ipsis alia aliqua in re pro meritis nulla gratia tribuatur. Maxime probandus videtur mos vetus, quo tales Legati in remunerationem habuerunt vacationem munerum & aliorum onerum, non tantum tempore Legationis sed & biennio post.

LXX I.

Ratione rerum & bonorum Legatis quoque gentium jure sua sunt privilegia. Et quidem in conservandis & amittendis rebus ita ipsis provisum, ut omnia iis tempore Legationis sarta tecta maneant; damnum autem passis restitutio in integrum concedatur. Quod cautum quoque est l. 9. ff. de Legat. l. 1. ex quibus causis majores. Sunt autem hæc æquissima coque merito observanda.

LXXII.

In contractibus quoque privatis Legati jure suo frumentur. Nec enim tenetur usquam locorum (nisi Residentes fortasse erint exipendi) de contractibus ante Legationem initis judiciò sese sistere, nec Procuratorem relinquare nisi prius finita fuerit Legatio. Contractus tamen in Legatione tam respectu sui Domini quam sui ipsius initios, non tantum tenetur servare, sed & de ijs coram judice loci respondere; salvo tamen semper jure & autoritate mitigentis, & ne illa lite ipsius Legationis negotia impediatur.

LXX III.

Legatione postremò tota expedita, relatione quoque de omnibus debito modo facta, si res ex voto cesserit, Legatus honorario non vili merito afficiendus: sumptus etiam si forsan de suis fecerit, nisi liberam in se suscepit Legationem

tionem, ipsi refundendi. Interest enim reip. ut qui benerem gesserit afficiatur præmio: quo & alij ad officia reipub. solerti cura imposterum præstanta excitentur. Tenetur tamen etiam Legatus de accepta pecunia rationem reddere. Et forsitan accusatus negligenter vel malitiose fines mandati observasse, exacte respondere tenetur. Convictus suppicio quoque jure poterit affici. Quoniam & hoc reipubl. interest, puniri acriter quicquid in Rempubl. est commissum: quo alij territi cautius rem gerant. Verum de Legatis hæc nunc sufficient.

---

## COROLLARIA

### I.

Jus clientelare propriè dictum (de Advocatorum enim patrocinio hic non est sermo) ut à multis seculis usitatum & in angustias redactis populis saluberrimum & tutum, ita etiam sæpenumero admodum pericolosum. In talibus igitur pactis ineundis non exigua adhibenda est prudentia. De jure alias nec subjectiōnem nec jurisdictionem inducit, nec cliens ad ulteriora tributa quam quæ promissa sunt adstringi debet. Multa tamen fiunt de facto, quæ jure non permittuntur.

### II. Por-

*AKT A 5218*

II.

Pro conservandâ pace publica , aut defen-  
sione suarum Provinciarum , Principes Imperij  
jure optimo poslunt citra Majestatis Imperialis  
læsionem fædera & inter se & cum exteris  
pangere, siquidem illa à necessitate exigantur, &  
invalida in civitate Imperij sint cum Legum  
tum alia auxilia rebus defendendis.

III.

Repressaliæ si fiant in id , ut suum cuique  
restituatur & ne justitia ad multorum assiduas  
instantias semper denegata pereat, modus item  
si non excedatur, & qui ab his exempti sunt, ex-  
cepti maneant , juri naturæ & gentium ut &  
nostro civili haud repugnant, sed omnibus illis  
consentaneæ sunt.

F I N I S.



B. M. II/ii.  
S. 28, 18.

DIS

LE

CLAN

HERM

Phil. &  
cele

In i

HARO

Typis HE

7871  
CA

IS

